

societates hominum singula in suis Divis colendis. Fortasse dixerit quispiam: Ipsa Divorum consecratio, certa Pontificis auctoritate perfecta, in causa est, ut in iis deinde colendis Ecclesia non erret. Bene habeat. Sed ipsa quoque Pontificis Maximi auctoritas, quæ sine illa consecratione cultum publicum statuit, causa esse debet, cur Ecclesia non erret in cultu præstando. Secus enim falli posset Ecclesia in Divo Laurentio Martyre, Augustino, Hieronymo, & innumeris aliis venerandis, quos Pontificum nemo consecravit, sed eorum fuisse decreto ad cultum propositos notum est. Deinde hoc est in quaestione, unde Pontificem non errare probemus in consecrandis Divis. Cujus rei causam dare non aliam possumus, nisi quod ipsa consecratio Divorum ad cultum refertur, qui ad mores pertinet; in quibus nempe formandis Pontifex Maximus falli non potest. Quod si præcipiendo Conceptionis honore, quem populus omnis Christianus adhibeat, errare potest; inane jam erit, quod Theologi assument, ut Divorum consecrationem ostendant vel esse *de fide*, vel certam *infra fidem*, sed certitudine aliqua infallibilis veritatis. Hoc enim assumunt, Ecclesiam, vel Romanum Pontificem, quod nec verum, nec sanctum est, id proponere Christianis colendum minime posse: cultus enim ad mores pertinet, in quibus formandis Ecclesia falli non potest. Ex eoque concludunt argumentando, consecrationem Divorum vel esse certam *de fide*, vel certam *infra fidem*, sed certitudine aliqua infallibilis veritatis. Principio illo, ac fundamento sublato, quod, ut est dictum, penitus ruere necesse est, non possunt ultra Theologi, non libellator dicere potest, *judicium Sedis Apostolicae in canonizationibus esse irrefragabile, & unum e maximis Pontificiae auctoritatis argumentis*. Hoc autem negare nefas est. Sequitur ergo, Ecclesiam falli non posse, quæ Deiparæ immunitatem insigni decreto ad cultum propositam veneratur. Illud etiam efficitur, *Ecclesiam adhaerere opinioni dicenti, Virginem fuisse sine culpa originali conceptam, non tamquam probabili, sed tamquam certa*. Quod si pernegant adhuc libellatores, definitione